Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

filium bochri. viri autem iuda adhese-
runt regi suo a iordane usque in ierusalem
Cumque venisset rex in ierusalem in domum
suam tulit decem mulieres concubi-
nas suas quas dereliquerat ad custodi-
endam domum et tradidit eas in custo-
diam alimenta eis praebens et non est
ingressus ad eas. sed erant clause usque
ad diem mortis sue in viduitate vi-
ventes. Dixit autem rex amase. convo-
ca michi omnes viros iuda in diem
tercium et tu adesto presens. Abiit ergo
amasa ut convocaret iudam et mora-
tus est extra placitum quod ei consti-
tuit rex. Ait autem david abisai. Nunc
magis afflicturus est nos seba filius
bochri quam absalon. tolle igitur ser-
vos domini tui et persequere eum ne for-
te veniat in civitates munitas et ef-
fugiat nos. Egressi sunt ergo cum
eo viri ioab cerethi quoque et phelethi
et omnes robusti exierunt de ierusalem
ad persequendum seba filium bochri.
Cumque essent illi iuxta lapidem gran-
dem qui est in gabaon amasa veniens
occurrit eis. porro ioab vestitus erat
tunica stricta ad mensuram habitus sui
et desuper accinctus gladio dependente
usque ad ilia in vagina qui fabrefactus
levi motu egredi poterat et percutere.
Dixit itaque ioab ad amasam salve
mi frater. et tenuit manu dextera men-
tum amase quasi osculans eum. por-
ro amasa non observavit gladium
quem habebat ioab qui percussit eum in la-
tere et effudit intestina eius in terra
et mortuus est. nec secundum vulnus ap-
posuit. Ioab autem et abisai frater eius perse-
cuti sunt seba filium bochri. Interea
quidam viri cum vidissent et stetissent
iuxta cadaver amase de sociis ioab
dixerunt. ecce qui esse voluit pro ioab
comes david. Amasa autem conspersus
sanguine iacebat in media via. vidit
hoc quidam vir quod subsisteret omnis
populus ad videndum eum. et amovit
amasam de via in agrum operuitque eum
vestimento ne subsisterent transeuntes
propter eum. Amoto igitur illo de via
transiebat omnis vir sequens ioab
ad persequendum filium bochri seba.
porro ille transierat per omnes tribus
israel usque in abelam et in bethmacha.
omnes quoque electi viri congregati fuerant
ad eum. Venerunt itaque et oppugnabant
eum in abela et in bethmacha et circu-
dederunt munitionibus civitatem et ob-
sessa est urbs. Omnis autem turba que
erat cum ioab moliebatur destruere
muros. et exclamavit mulier sapiens
de civitate. Audite audite dicite ioab
appropinqua huc et loquar tecum. Qui
cum accessisset ad eam. ait illi. tu es
ioab. et respondit ille. Ego sum. ad quem
sic locuta est. Audi sermones ancille
tue. qui respondit audio. Rursumque
illa. Sermo inquid dicebatur in veteri
proverbio. Qui interrogant interrogent in
abela. et sic perficiebant. Nonne ergo
sum que respondeo veritatem in israel.
et tu queris subvertere civitatem et ever-
tere matrem civitatem in israel. quare
precipitas hereditatem domini. Respon-
densque ioab ait. Absit hoc a me non pre-
cipito neque demolior. non se sic habet
res. sed homo de monte ephraim seba
filius bochri cognomine levavit ma-
num suam contra regem david tra-
dite illum solum et recedemus a civi-
tate. Et ait mulier ad ioab. Ecce caput